

Q. K. 367

(X 188 2552)

75. 426

Q. F. F. F. Q. S.
ALEXANDRUM
ET VIRTUTIBUS & VITIIS
MAGNUM,

II n
317

Sive

CHARACTEREM ALEXANDRI,

ex Q. Curtii l. X. c. 5. à §. 26. usq; 36.

Annuate Inclytâ Facult. Philosoph.

MODERATORE

CHRISTIANO FRIDERICO
FRANCKENSTEINIO,

LL. & Histor. Prof. Publico, Collegii Majoris Principum
Collegiato, Alumnorum Electoralium Ephoro, &
Academiae Decem-Viro,

Patrono ac Præceptore ætatem

venerando,

publicè spectandum exhibebit

JACOBUS LINDNERUS, Rochlicens,

Auctor.

D. XXX. Decembr. A. O. R. cIs Isc LXXIV.

LIPSIÆ

Literis JOH. GEORGL

R14.



Viro Nobilissimo, Amplissimo, Excellentissimo
atq; Consultissimo,

DN. DAVIDI LINDNERO, J. U. Doctore
celeberrimo, Consistorii Lipsiensis Præsidi gravissimo,
ut & Curiaë Supremæ Provincialis Advocato
Ordinario famigeratissimo,

Viro Nobilissimo Clarissimoqve
DN. CHRISTOPHORO SCHINDLERO,
Serenissimo Saxoniae Electori à Secretis res
feudales concernentibus.

Viro Nobilissimo atqve Clarissimo
DN. MICHAELI LINDNERO, Serenissimo
Saxoniae Electori in rebus ad tractum montanum
pertinentibus, Secretario.

Viro Clarissimo
DN. GODOFREDO LINDNERO,
Poligrapho Lipsiensi meritisimo.

Viro Clarissimo atqve Prudentissimo
DN. ANDREÆ OBERKAMPFIO,
Juris Practico, & Senatori Misnenfi.


Patronis, Patruelibus ac Affinibus suis
æviternum venerandis, colendis,

has Academiae primitias submisit

offert

AUCTOR.





Mortalium natura inter cætera, quibus subjacet, damna hoc quoque nomine infelix & sinistra dici potest, quod illi nunquam ferè ad solidum atque perfectum virtutis decus eluctari contingat. *Quem enim unquam tam conditis moribus finxit, in quo non aliquid desideres? Barcl. Icon. c. 2.* Quotusquisque invenitur in historiis, qui integram plane atque ab omni labe purgatam traduxerit vitam? Præcellit Annibal fortitudine? & crudelitate perfidiâque conspicuus est. *Liv. l. 21. c. 4.* Eminent patientiâ atque liberalitate Alcibiades? *Luxuriosus, dissolutus, intemperans quoque reperitur. Nep. 7. 1.* Floret Julius Cesar eloquentiâ & spiritu? *Flor. 4. 2. 10.* Pronus & sumptuosus etiam in libidines existit. *Suet. I. 50.* Peperit solâ manu victoriam Horatius? & eam mox parricidio fœdat. *Flor. 1. 3. 5.* Adeo semper sese immiscent vitia virtutibus, & nobis etiam non cogitantibus obrepunt.

-- -- -- etenim mortalibus ex quo
 Tellus cœpta coli, nunquam sincera bonorum
 Sors ulli concessa viro. Quem vultus honestat,
 Dedecorant mores: animus quem pulchrior ornat,
 Corpus destituit: bellis insignior ille,
 Sed pacem fœdat vitiis: hic publica felix,
 Sed privata minus. Partitim singula quemque
 Nobilitant. *Claud. Laud. Stil. 1. 24.*

& Oedipus apud Sophoclem Oedip. Colon. 799. ait:

-- -- ἀνδρα δ' ἰδέειν οἶδ' ἐγὼ
 δίκαιον, ὅστις ἐξ ἅπαντ' ἐν λέξει.

Vid. & Barcl. Satyr. part. 3. p. m. 243. & Gramond. Hist. Gall. 13. p. 587. Verum enimverò, ut nemo gemmam cæno fortè merfam spreverit, ita virtutem, quamvis vitiis sepiatur, suspici atque adorari convenit. Malam ferret de genere humano sententiam,

qui contemni omnes vellet, inter egregia opera quandoque peccantes. Irasci quidem vitiis poteris, veruntamen virtutes impensius mirari par est. Imprimis ubi praevalent praeclaræ dotes, & plus habes quod laudes, quàm quod ignoscas. *Sen. præf. l. 4. Controv.* Sic autem solent plerumque magni animi, ut ubi dedecus quoddam admiserint, id eluere atque virtutibus pensare annitantur. Ac similes sunt Soli, qui, cum attraxit nebulas, quasi indignans se vinci, illas statim discutit, & lætiori splendore jubar suum duplicat. Senties, Lector, hæc nos præmisisse ad extollenda bona, & extenuanda prava Alexandri Magni, cujus Characterem aggredi decrevimus. Ille enim (quod Nepos de Paufaniâ dicit 4. 1. 1.) ut virtutibus eluxit, ita vitiis fuit obrutus. Ille & virtute & vitiis patre Philippo major. *Justin. 9. 8.* Nihilominus tamen nequaquam æquabant vitia virtutes: rapiebant eum quandoque, sed non abripiebant: aberrabat, sed ita ut posset reduci: delinqvebat, sed delicta semper pœnitentia confecta est. Jam verò

Quem pœnitet peccasse, pene est innocens. Senec. Agam. 243.

Ac proinde quemadmodum unus altervè nævus nihil de reliqui corporis pulchritudine detrahunt: ita & quædam vitia, ac, si ad virtutes compares, parvipendenda, Alexandri famam parum aut nihil obscuravere. Hujus autem vitam moresque tractantibus præibit, atque facem præferet Q. Curtius, Auctor, in cujus scriptis subtilitas, elegantia & suavitas contendisse videntur.

§. I.

PRimum omnium requiruntur hic JUSTE ÆSTIMANTES. Nimirum sic ferè fieri videmus, ut honestissimi, omnisque prope modum sceleris expertes viri imperitorum conviciis pateant. *Vulgi enim animi libenter de his detrahunt, quos eminere vident altius. Nep. 12. 3. 3. invidiâ laudem virtutis obterunt. Idem 20. 1. 5. & assidua eminentis fortune comes invidia altissimisq; adheret. Vellej. 1. 9. 6. ad summa fere tendit invidia; intacta media sunt. Liv. 45. 35.* Jam cum hic affectus obstat, quomodo quis sincerum & justum judicium ferre poterit? Vid. Sallust. Cat. 51. 1. Excludit autem Curtius non solum eos, qui iniquè de magnorum virorum factis æstimant, verum & illos, qui plus quàm par est laudibus indulgent, & majora, quàm gesta sunt, fingunt. Quâ de re conqueritur *Sallustius Cat. 8. & Claudianus 6. Conf.*

Conf. Hon. 475. --- *si qua fides, ait, argentibus omnia Musis.* Sint ergo
 justè æstimantes, quales Historici esse debent, & imprimis hic no-
 ster Auctor est: qui quàm verissimè poterunt, rem absolvunt. *Sallust.*
Cat. 4. qui nec affirmare sustinent, de quibus dubitant, nec subducere, quæ
 accepere. *Curt. 9. 1.*

§. 2. Facit autem Curtius, quod solent, qui terrarum situs
 pingunt, & in brevi quasi tabellâ totam Alexandri imaginem am-
 plectitur: dum BONA EJUS NATURÆ, VITIA VEL FORTUNÆ, VEL
 ÆTATIS FUISSE asserit. Atque sic velut in tres classes dispescit,
 integrum vitæ curriculum. Prima continet illud, quod bona à na-
 turæ bonitate profluxerint. Ipse hoc de se fatetur Alexander l. 4.
 c. ii. *Quæ feci clementer & liberaliter, tribui meæ natura.* Et fanè ve-
 rissimè habendum, ad exercendam virtutem plurimum naturam
 posse; illâ stimulante propellimur, & impetu quasi quodam feri-
 mur ad egregia facinora. Quis neget Augustum aut Trajanum
 naturali instinctu ad virtutes esse inflammatos? Nec aliter hâc in
 re comparatum est, quàm cum pueris, quibus ingenium contigit
 facile & ad addiscendas literas capax: hi enim citissimis incremen-
 tis ad altiora emergunt: dum contra omnem frustra laborem in-
 sumserint informatores in iis, quos destituit ingenii benignitas.
 Quo respexit *Seneca de tranquill. anim. c. 6.* Male, inquit, respondent
 ingenia coacta, reluctante naturâ irritus labor est. Pari modo se res ha-
 bet in capiendis virtutibus: nunquam in Pompejum aut Cæsarem
 evasurum speraveris, cui natura virtutum illa intrinseca semina,
 denegavit. Altius quiddam subest, & vigor ille heroum prove-
 nit etiam haud raro ex virtute parentum: *vid. Horat. 4. Od. 4. Senec.*
Troad. v. 534. aut potius, si verum fateri volumus, ex Dei curâ. Nec
 inficiandum interim, disciplinam atque educationem etiam haud
 parum conferre. Sic enim cernimus in arboribus ramos ductu a-
 gricolæ vel in altum eniti, vel incurvatos in rectum deflecti. Scin-
 tillulas illas virtutum, quas natura indidit, recta educatio promo-
 vet, & quasi folle admoto sufflat, ut deinceps in flammam erum-
 pant. Præprimis autem hoc in Principum liberis evenit, qui præ-
 ter ingentem illam vim, nil nisi honesta cernunt atque inter præ-
 clara opera versantur: hinc in consuetudinem apud illos abit, ho-
 nesta facere, ut deinde ignorent, naturâ an præceptis acceperint, intempe-
 rantiam, fraude, & mendacio, velut insolentiam prodigiorum exterreri *Barcl.*

can-
 sius
 ha-
 m,
 ife-
 iles
 il-
 en-
 nda
 us.
 elu-
 jor.
 vir-
 rra-
 pæ-
 .
 qui
 ad
 ut
 us
 ptis
 Ni-
 pe-
 nt,
 al-
 dua
 ma
 us
 it?
 os,
 os,
 a
 6.
 ns.



Icon. 1. Elegantissimus autem, quem modò dixi, *Barclajus* omnia paucis verbis complexus est, *Argen. 1.* dum inquit: *Non dubium grandius quiddam insinuari illis ingeniis, quæ ad regnandum à puero instituuntur, sive natura hoc facit, sive disciplina reëtitudo, aut potius Deum cura.*

§. 3. In altera classe ponit Auctor vitia, eaq̃ ex parte adscribenda fuisse fortunæ affirmat. Scilicet cum alia desunt, quæ rectas mentes à virtutis semitâ detorqueant, nimia invenit felicitas. Quid Caligulam, quid Neronem, quid alia monstra Principum in vitia propulit? *Fortuna.* *Hæc enim cum se permittunt homines, etiam naturam dediscunt. Curt. 3. 2. Minus cupiditatibus imperamus inter obsequia fortunæ, contra quam non satis cauta mortalitas est. Curt. 8. 4. Et pulcherrimè Tacitus Hist. 1. 15. 5. Secundæ res, ait, acrioribus stimulis animum explorant, quia miseriæ tolerantur, felicitate corrumpimur. Quin & sapientum animos fatigant res secundæ. Sall. Cat. 11. Humanæ quoque fragilitatis nimia in prosperis rebus est oblivio. Curt. 4. 14. Exemplis tota historia plena est. Ex successu continuæ felicitatis se hominem esse obliviscitur Clearchus. Justin. 16. 5. Conon inconsideratior in secundâ, quàm in adversâ erat fortunâ. Nep. 9. 5. Thebani secundam fortunam imbecillo ferebant animo. Just. 8. 1. Italus secundâ fortunâ ad superbiam prolapsus. Tac. Ann. 11. 17. 3. Gyges Lydiæ regno armis & divitiis abundantissimo prepositus, sed inflatus animo. Val. Max. 7. 1. Cleopatra fortunâ dulci ebria. Hor. 1. od. 37. Grandem congeriem struere posses exemplorum. Hinc miraculi instar habendum, quod Timoleon secundam multò sapientius tulerit quàm adversam fortunam. Nep. 20. 1. Rarissimum hoc est & difficillimum. Quippe largissimum quasi fontem dixeris fortunam magnam, ex quo omne vitiorum genus promanat: luxuriam effundit, crudelitatem, superbiam, cæteraque: quæ omnia rectâ ratione domare quanti censendum? Vix Herculi tantum laboris in prosternendâ Hydrâ fuerit.*

§. 4. Tertia demum classis exhibet vitia ætatis. *Temeritas videlicet est florentis ætatis. Cic. Cat. Maj. Et vitia primo fervore adolescentiæ indomita sunt. Sen. Ep. 68.*

Juvenile vitium est regere non posse impetum. Sen. Troad. 249.
Nec temere in mortalibus proniores annos ad vitia habebis, quàm juvenilem ætatis florem. Hic

fertur equis auriga, nec audit currus habenas.

Hic

Hic animi se abripiunt per inconsulta fiducia ac securitatis aestus. Barcl. Icon. 1. Tunc primum idonea aetas deliciis est, nec plus de voluptatum sensu gaudet, quam quod illas gaudeat experiri. Ibid. Talem describit Sallustius Catilinam, Cat. 5. quod cadibus, rapinis, discordiaq; civili juventutem suam exercuerit. Talem depingit Othonem Tacitus, quod pueritiam incuriosè, adolescentiam petulanter egerit. Hist. 1. 13. 4. Similiter Ptolomæus Jubæ filius juventâ incuriosus fuit. Tac. Ann. 4. 3. 2. Et quid multa? mobiles adolescentium animi. Ann. 4. 17. 3. regiq; detrectant, similes juvenis, qui rigidâ cervice jugum fubeunt. Neque hâc lege exemptus fuit Alexander noster, quippe qui calidâ juventâ sæpissimè correptus, non gradu (ut Vellejus de populo Rom. habet. 2. 1.) sed precipiti cursu à virtute descivit, & ad vitia transcurrit.

§. 5. Hactenus in genere Auctor de Alexandro: nunc in specie latius quasi evolvit & virtutes & vitia ejusdem. Ac primo quidem loco catena quasi quadam connexuit VIM INCREDIBILEM ANIMI, ET LABORIS PATIENTIAM PROPEMODUM NIMIAM. Nihil aliud innuens, quam indivulso nexu hæc duo conjungi debere, si stabile atque elaboratum penitus decus acquirere velimus. Unum enim alterius auxilio eget Sall. Cat. 1. Præsertim tamen requiritur vis animi, cujus imperio utimur. Ibid. Nam

Vis consilii expers mole ruit sua. Hor. 3. od. 4.

-- -- *Non solis viribus æquum*

Credere, sæpe acri potior prudentia dextra. Val. Flacc. l. 4.

Et pulcherrimè Oppianus concinit l. 5. ἀλιευτ. 95.

-- -- ἀλκή ἀνεμόλιον ἄφρων

καὶ τε μέγα βελαιόντα κατίσφρασσεν, ἠδ' ἐοίωσε

βαῖος ἀνήρ εὐμητις.

Congruunt Curtius 7. 4. Consilio non impetu opus est. Omnesq; ferme auctores hâc in re consentiunt: utpote Tacitus Ann. 2. 26. 4. 6. 32. 1. 12. 49. 4. Livius. l. 21. c. 50. Vellejus. 2. 72. 2. Florus 2. 12. 13. Cicero de Senect. Pindarus Istm. od. 4. aliq; plurimi. Nihilominus tamen & corporis vires ad exequendum bene cogitata non tam sunt utiles quam necessaria. Hucq; trahi potest, quod apud Thucydidem. l. 2. dicitur: τίχνη ἀνευ ἀλκῆς ἐδὲν ὠφέλει. Rara autem est utriusq; conjunctio. Unde & Sallustius Jug. 7. quod difficillimum, inquit, est imprimis, & prælio strenuus erat & bonus consilio. Similiter Catilina fuit magna vi & animi & corporis. Sall. Cat. 5. Lycogenes vir & manu & con-

nia
viam
nsti-
eum
ad-
væ
lici-
nci-
ho-
mus
8.4.
nu-
ur.
ana
m-
ens
dâ,
im-
la-
imo
ia.
L.
ultò
oc
or-
u-
a
L
as
n-
m
ic



consiliis strenuus. Barcl. Arg. 1. Utrumque reperiebatur in nostro Alexandro quoque, & quidem in summâ *ἀκμῇ* & vigore: vis enim erat *incredibilis* & patientia propemodum *nimia*; quantum qui non oculis subiecere, animis concipere nequeunt. Quoties enim effinxit callida inventa? Nunc *latè diffusum amnem viribus stramento refertis trajicit. Curt. 7. 5.* nunc *acutum ad avertendum hostem intendit dolum. 8. 13.* Deinde hic munia non ducis magis, quam militis gregarii obit, illic glaciem dolabrâ primus perfringit: Quæ omnia recensere longum esset.

§. 6. Sic se gerendo minimè mirandum, si penes eum fuerit FORTITUDO NON INTER REGES MODO EXCELLENS, SED INTER ILLOS QUOQUE, QUORUM HÆC SOLA VIRTUS FUIT. Qualis forsitan & Julii Cæsaris habenda. Minus nos admiratio Annibalis rapit, eum fortitudine excelluisse, quippe à puero inter militaria opera versatus erat, solâq; hæc eminens notabatur. Cynægiri fortitudinem si tollas, nihil magnopere habebis quod laudes in eo. Nec Marius tam suspiciendus, nempe in totâ vitâ nihil aliud egit, quam ut exerceret fortitudinem, *Et ita fuit à pueritiâ, ut omnes labores, pericula consuetâ haberet. Sall. Jug. 85.* Verum enimverò inter medias regni curas, & inter cæteras virtutes, fortitudinem non tantum reges, sed etiam eos, quorum hæc sola virtus est, vincere, hoc opus, hic labor est. Felicem ergo te Alexander, cui hoc obtigit! Fortitudinis tuæ opera referre ut arduum, ita impossibile est, adeò multa sunt. *Tantas res audere vix hominis, perficere nullius nisi Dei fuerit. Vellej. 2. 47. 1.* Tantummodo pauca perstringam. Cum Heros hic *præfectum quendam equitatus avidum certaminis hastâ transfigeret, quid fortius fieri potuisset? Curt. 4. 16.* Inauditum erat ausum, cum in murum evaderet, seq; *in urbem plenam hostium præcipiti saltu immitteret. 9. 5.* *Resistentium ora fodiebat, fugientium terga. 4. 15.* Reliqua transeo, nam pagina prius deficeret, quam strenua opera ab illo perpetrata. Nec audaciæ forsitan crimine ipsum infimulaveris: *nunquam enim in discrimen venit, an temerè fecerit. Curt. 4. 9.* *Erat tantummodò animi obluētantis difficultatibus. 6. 6.* Flagrabat in illo impetus heroicus, qui illum in ardua & difficilia negotia stimulabat: *qualem impetum aliquando Heroës pro vehiculo usurpant; qui etsi nonnunquam audaciæ & temeritatis, plerumq; autem à voucaλiæ, cujusdam & discessus à regula speciem habet: tamen efficaciam potentissimus esse non desinit. Bæcl. Char. Vell. 2. 66.*

§. 7.

§. 7. Fortitudinem statim excipit LIBERALITAS SÆPE MAJORA TRIBUENTIS, QUAM A DIIS PETUNTUR. Inter alia ornamenta, quæ Principem decent, meritò & hæc existit. Nimirum nulla omnium virtus tantum valet ad conciliandos vulgi animos, quàm liberalitas. Quàm fovent, quàm osculantur, quàm succollant talem Principem! Scilicet omnes ita comparati sumus, ut lubentissimè dona ab aliis sumamus; eaq; eò gratiora sunt, quò major, qui donat. Dum contra invisos reddit nimia tenacitas. Putat enim populus se sperni; regemq; tantum sui, non suorum, ducere rationem. Et credibile est Tiberium ob parvitatem & illiberalitatem, quam exercebat, *Suet. 3. 46. & 48.* malè audiisse. Nam iniquissimum, illum non rursus benefacere, ad quem sustinendum omnes subditi congerere debent. Ad hæc liberalitate nihil est natura hominis accommodatius. *Cic. 1. Offic.* Et Pythagoras interrogatus quâ ratione homines diis similes evadere possent? respondit: si veritatem amplecterentur, & cunctis benefacerent. Proinde magni ille æstimandus, qui cum diem absq; munificentia quâdam consumsisset, dixit: *Amici, diem perdidit.* Verissimeque Bochus apud *Sall. Jug. 110.* inquit: *Regem armis quàm munificentia vinci, minus flagitiosum.* Laudatur in historiis liberalitas Cimonis; utpote cum videret aliquem fortunâ offensum minus benè vestitū, suū amiculum dedit semperque eum pedissequi cum nummis secuti sunt, ut si quis opis ejus indigeret, haberet, quod statim daret, ne differendo videretur negare. *Nep. 5. 4.* Celebratur Conon ob munificentiam in cives suos. *Nep. 9. 4. 5.* Evehitur Gillias Agrigentinus, cujus domus quasi quædam munificentie officina credebatur. *Val. M. 4. 8.* Laudavit Tacitus miram & eximiam Vespasiani liberalitatem. *Orat. c. 9. 8. & Suet. Vesp. 17.* Nec non Octavii munificentia extollitur. *Suet. Oct. 41.* Sed nescio tamen an quisquam supergressus sit Alexandrum nostrum, majora tribuentem, quam à Diis petuntur. Quippe infixerat procul dubio ejus animo Aristoteles, & experimento quoque deinceps compererat, Principe absque favore & amore populi nihil esse miserius: *vivendumq; ei esse in solitudine velut feræ bestie Curt. 8. 2.* proinde omni ratione anniti debere, ut subditorum voluntatem promereat; hoc autem commodissimè fieri posse, si beneficiâ illos tentaret. Hæc enim est esca quâ alliciuntur, & vinculum quo continentur.

§. 8. Porro cum hoc vitium sit *victoribus, neq; modum neque*

B

210.

A-
nim
non
ef-
ento
ndit
litis
nia
fue-
TER
for-
ra-
ria
for-
eo.
git,
abo-
er-
tan-
re,
ob-
ile
s ni-
Cum
ans-
au-
ipiti
Re-
a ab
eris:
tan-
npe-
t:
nun-
dis-
finit.
§. 7.



modestiam habere: *Sal. Cat. 9.* eò generosius censendum, quòd Rex
 noster CLEMENTIA IN DEVICTOS usus sit: quâ in re verè
 Magnus & inimitabilis est repertus. Etenim cum omnem ejus
 percurramus vitam, nunquam inveniemus, quicquam gravius ab
 ipso fuisse consultum in devictos aut deditos. Ita se gessit *ut omnes*
ante eum reges clementiâ vincerentur. Curt. 3. 12. Matrem, conjugem li-
berosq; Darii ita habuit, ut nihil quicquam ex pristinae fortune magnifi-
centia ipsis defuerit, 3. 12. Moderationem clementiamq; ejus hæc una res pos-
sit ostendere, quod Madati non modò ignovit, sed omnes & deditos & capti-
vos libertate atque immunitate donavit. 5. 3. Triginta nobilissimos ex ca-
ptivis Sogdianorum morte liberavit. 7. 10. Regina Mazagarum non veniam
modò sed etiam pristinae fortune impetravit decem. 8. 10. Quin ipsi Da-
rio pepercisset, cui sui non pepercere. 6. 3. De seipso quoq; inquit 8. 8.
Veni in Asiam non ut funditus everterem gentes, sed ut illos quoque, quos
bello subegissem, victoriæ meæ non pœniteret. Et toties alibi mansuetu-
dinis ejus exempla recensentur. Objicis mihi Batim præfectum
Gazæ, per cujus adhuc spirantis talos lora trajecta sunt, religatumq; ad cur-
vũ traxere circa urbem equi? Curt. 4. 6. Nihil agis: hoc ipso ejus invicta
puniebatur pertinacia: & necessariò severa requirebatur animad-
versio, ut cæteri à tam præcipitibus atq; obstinatis consiliis deterre-
rentur. Hæc virtute, ut nemo alius, Alexandrum imitatus est
Cæsar, qui meritò cum nostro conferendus. Moderationem enim
& clementiam, tum in administratione, tum in victoriâ belli civi-
lis admirabilem exhibuit: quod patet exemplo Cornelii Phagitzæ,
P. Clodii, Philemonis, aliorumque, tum quod nulli periisse, nisi in præ-
lio reperiantur. Svet. 1. 74. & 75. pensatumq; clementiâ bellum. Flor. 4.
2. 9. Pari modo Vitellius victor clementiæ gloriam tulit. Tac. H.
1, 75. 2. Verùm perperam ac falso, cum contra sævissimum illum
quò minus appelles, nihil prohibeat. Ejus dictum crudelissimum
eum prodit: dum videlicet diceret: Optimè olere occisum hostem, me-
lius civem. Svet. 9. 10. Veriora ac laudabiliora referuntur de Q. Me-
tello, & Pompejo apud Val. Max. 5. 1. De clementiâ verò in genere
si dicendum, certum est, eâ plus effici posse, quàm violentiâ. Cru-
delibus enim pœnis & acerbis judiciis imperium vastatur magis quàm cor-
rigitur. Sall. 1. de rep. ord. Et nulla possessio diuturna est, in quam gladio
inducimur. Curt. 8. 8. Quò respicit & Seneca Troad. 256.

Violenta imperia nemo continuit diu

Moderata durant.

&

& Theb. 659. *Qui vult amari languidâ regnet manu,
Invisa nunquam imperia retinentur diu.*

Neque etiam regi gloria ex sevâ animadversione. Sen. Clem. 1. 17. Non minus principi turpia multa supplicia quàm medico multa funera. Ibid. c. 24. Idcirco regum officium est quod bonorum parentum, qui objurgare liberos nonnunquam blandè, nonnunquam minaciter solent, aliquando etiam admonere verberibus. c. 14. Sitq; adeo princeps sermone affabilis, accessuq; facilis, vultu qui maxime populos demeretur, amabilis, equis desideriis propensus & inquis acerbis, sic ab omnibus amabitur, defendetur, coletur. c. 13. Talem jam Alexandrum Curtius noster delineavit, dum sub vocabulo clementiæ omnes illas, quas modò diximus, species subinuit. Atque sic denique ut infinitam gloriam ejus bellica virtus, ita precipuum amorem ejus clementia meruit. Val. M. 5. 1. Hæc autem clementia porro se explicuit, cum TOT REGNA AUT REDDERE, QUIBUS EA DEMSERAT BELLO, AUT DONO DARET. Quippe non poterat ejus natura in benefaciendo defatigari. De populo Romano nunquam ferè legimus relatum, quod regi aut populo ex regno pulso, restituerit, quæ eripuerat. Avidi erant imperii terrarumque: hinc debellatos reges aut in exilium agebant, aut morte mulctabant. Longè aliter Magnus noster: etenim contentus se vicisse, gloriamq; reportasse, omnia propemodum regna suis indigenis relinqvebat. Porum donavit ampliore regno quam tenuit. Curt. 8. 14. Taxili quæ dederat remisit & mille talenta ex præda adjecit. 8. 12. Sophitem in suo reliquit regno. 9. 1. Plura prætereo, ne obtundam multitudinem Lectorem. Quis ergo fatis aestimet aut evehat Regem tam clementem mansuetumque?

§. 9. *Quomodo autem Magnus hic sese exhibuit erga mortem? num extimuit forsan eam aut ad nomen horruit? respondet Curtius, docendo, MORTIS, CUJUS METUS CÆTEROS EXANIMET, APUD EUM PERPETUAM FUISSE CONTEMPTIONEM. More nimirum illustrium Heroum vitam parvipendentium. Vulgi ista pusillanimitas est, metu mortis marcere: usq; nihil est spiritu charius. Curt. 6. 4. Talis refertur Cn. Carbo Val. Max. 9. 13, qui ad supplicium ductus petiit à militibus demisse & flebiliter, ut sibi alvum levare, priusquam expiraret, liceret. Talis fuit Brutus, qui cervicem gladio subtraxit. Ibid. Marobodui quoq; claritas imminuta ob nimiam videndi cupidinem. Tac. Ann. 2. 63. 5. Verum enimvero generosi animi nihil vilius quàm mor-*

Rex
verè
ejus
is ab
mnes
m li
gnifi
pos
apti
ca
niam
Da
8. 8.
quos
etu
tum
cur
victa
nad
erre
s est
nim
civi
gitæ,
pre
or. 4.
H.
lum
num
me
Me
nere
Cru
cor
adio
&

mortem censent, semperq̄ illud *Seneca* cogitant ep. 81. *Contemne mortem, nihil triste est cum huius effugimus metum.* Sciunt insuper semper in pralio maximum esse periculum, qui maximè timent, *Sall. Cat. 58.* Et effugere mortem quisquis contemserit, timidissimum quemq̄, consequi. Quod etiam *Seneca* innuit *Oedip. 992.*

- - - Multi ad fatum

Venere suum, dum fata timent.

Meritò igitur prætulerim *Carboni anime magne prodigum Paulum.* *Hor. 1. Od. 12.* prætulerim *Catonis nobile lethum.* *Ibid. Flor. 9. 2. 10.* Præ- tulerim *Decios* ultrò se morti offerentes. Nihilominus tamen, hîc cautio quoq; exhibenda, ne ruamus beluarum ritu in perniciem non necessariam. Et quanquam interdum non solum fortior, sed & sapientior mortis quàm vitæ cupiditas sit: *Val. Max. 9. 13.* Fortium tamen virorum est magis mortem contemnere, quàm odisse vitam. *Curt. 5. 9.* Ac *Lu- canus 7. 105.* verè dicit:

-- -- -- fortissimus ille est,
Qui promptus metuenda pati, si cominus instent,
Et differre potest.

Hincque increpat *Antigone* patrem *Oedipum*:

-- Non est, ut putas, virtus, pater
Timere vitam, sed malis ingentibus
Obstare, nec se vertere ac retrò dare. *Sen. Theb. 190.*

Et alter *Seneca* omnia complectitur hoc dicto: In utrumq̄, muniendi sumus ac firmandi, ut ne nimis amemus vitam, & ne nimis oderimus. Medio ergo, ut in omnibus aliis rebus, ita in hâc quoq̄ tutissimus ibis.

§. 10. Recensio laudum inferit Auctor penè vitium quoddam, nimirum GLORIÆ LAUDISQUE JUSTO MAJOREM CUPIDINEM, illam tamen aliquantum prævelat quasi, quod UT JUVENI ET IN TANTIS ADMITTENDA REBUS FUERIT. Pessimè hâc in parte ingeniis humanis consultum, quod nunquam ferè suâ forte contenta quiescant. *Fugienda petimus.* *Sen. Hippol. 696.* semper, ad majora acquirenda distringimus curas: Præsertim verò, ut *Euripides Iphig. in Aul. 22.* habet, τὸ Φιλότιμον γλυκὺ: & ejus consequendæ gratia ad ultima sæpe propellimur. Cum tamen fatius foret, repudiare aut expectare saltem eam, quàm rapere. Quippe *spreta in tempore gloria interdum cumulatior redit.* *Liv. 2. 47.* Et gloria fu-

glen

gientes magis ac magis sequitur. Senec. Hinc Cat. quò minus gloriam pe-
 rebat, eò magis illà assequabatur. Sall. Cat. 55. Epaminondaq; recusanti omnia
 imperia ingesta sunt. Just. 6. 8. Etenim odere homines impetum &
 insolentiam in capeffendis honoribus. Ac quemadmodum flumi-
 na ripas temerè supergressa jactis crepidinibus coërcentur :
 ita & gloriam vi quasi quadam quærentes reprimere atq; cohibere
 annitimur. Quicquid autem hoc sit. Negandum tamen inte-
 rim non erit, & eam in rebus humanis esse utilissimam. Nam glo-
 ria industria alitur: ubi eam demseris ipsa per se virtus amara atq; aspera est,
 Sall. 2. de rep. ord. Nec amara tantum erit, sed hebescet certè ac
 planè evilescet. Gloriâ quasi calcari instigamur ad egregia ope-
 ra audenda. Ut autem lumen, si oleum subtraxeris, collabetur:
 haud secus virtus procidet, ubi alimentum ac faginam ipsius
 subduxeris, gloriam nimirum. Anne credis ullum ex tot forti-
 bus viris ad exercendam virtutem fuisse instinctum, nisi immor-
 tale gloriæ decus sibi acquirere sperasset? Cessasset procul dubio
 Scævola, cessassent Scipiones, Fabii, Torqvati, Metelli, Pompeji
 cœteri. Nec sanè pedem è Macedoniâ extulisset Alexander,
 si præmio virtutis, gloriâ orbatus fuisset. Fuit ergo in eo cupido
 gloriæ, sed justò major, quod nequaquam approbandum. Limites
 aliquantum transgressus est: haud absimilis Themistocli, qui ob
 gloriæ cupiditatem noctes inquietas exigebat. Val. M. 8. 15. Tamen hæc
 cupido admittenda videbatur ut juveni. Scilicet juvenia altiora
 semper spirat, mediocria vilia putando, Animus enim in primo æ-
 tatis flore cupidine laudis ardet, Barcl. Icon. c. 1. Et eleganter Sarbie-
 vius Jesuita in Ode quadam canit:

Nullus effrenæ rabiem juvenia
 Æstus Ætnæi superat camini,
 Nulla conceptos jaeculantis ignes
 Ira Vesuvi. Lyr. 1. Od. 14.

Adde, quod magnæ indolis specimen sit, appetere magna. Optimi quippe
 mortalium altissima cupiunt. Sic Hercules & Liber apud Græcos: Quiri-
 nus apud Romanos Deorum numero additi. Tac. Ann. 4. 38. 6. Et qui-
 dem in tantis rebus admittenda omninò erat hæc cupido Alexandro,
 Jamjam enim effecerat virtute, ut ab omnibus gentibus invincibi-
 lis crederetur. Hanc ergò hominum de se conceptam opinionem
 vel maximè gloriâ tueri debebat ac corroborare quasi, ut nemo ex

B 3 debel-

mor-
 semper
 Et
 Qvod
 ulum.
 Præ-
 men-
 uiciem
 & sa-
 en vi-
 ac Lu-
 niendi
 Me-
 timus
 itium
 CUPI-
 JVENI
 c in
 à for-
 per
 rō, ut
 con-
 fatius
 quippe
 ria fu-
 gien

debellatis populis rebellare, ejusque cursum impedire forsan conaretur. Quò ergò magis adaugebat gloriam, eò majorem sibi pariebat auctoritatem. Jam verò notum quàm necessaria sit in imperio auctoritas. *Majestas certè imperatorum magnum momentum præsertim in bello. Barcl. Arg. 2.* Princeps aut Rex sine majestate statux non abfimilis est. Corpus est absq̃ spiritu, Qvicquid imperat, qvicquid ordinat, omnia spernuntur. Irridetur saltem: *Calcat jacentem vulgus. Sen. Octav. 456.* Nihilq̃ valet potestas regum, nisi prius valuit auctoritas. *Curt. 6. 8.* Quod ipsum innuit eruditissimus *Barclajus Arg. 2.* sic inq̃uens: *Quantumvis egregia in Rege virtus, nisi fortitudinis etiam opinio accedat, potest contemni: nec fidelius ulli principes amantur à populis, quam qui timeri meruerunt. Contemptuq̃ famæ contemnuntur virtutes. Tac. An. 1. 42. 1.* & meritò auctoritatem appellaveris rerum gerendarum telum. Quis ergo culpaverit Alexandrum, quòd sibi auctoritatem imperatoriam, & majestatem regiam conciliaverit affectando gloriam?

§. II. Non minimam laudis partem sibi vendicat in Rege PIETAS ERGA PARENTES, QVORUM OLYMPIADA IMMORTALITATI CONSECRARE DECREVERAT, PHILIPPUM ULTUS ERAT. Ipse de Olympiade *Curt. 9. 6.* *Quoniam, inquit, rei agitata in animo meo, nunc promende occasio oblata est; mihi maximus laborum atq̃ue operum meorum erit fructus, si Olympias mater immortalitati consecratur: hoc si licuerit, ipse præstabo: si me præceperit fatum, vobis mandasse mementote.* Ac cum Jovem Hammonium accessisset, quæsiuit à sacerdotibus, an omnes parentis sui interfectores penas dedissent. *Curt. 4. 7.* Ex quibus patet, quàm pio erga parentes suos affectu flagraverit. Cumq̃ laudi ducitur, quòd *M. Cotta Cn. Carbonem, à quo pater ejus damnatus fuerat, postulaverit, protrahumq̃ reum judicio afflixerit. Val. Max. 5. 4.* Multò magis Alexandro erit decori, qui tam acriter in parentis sui percussores animadvertit, Nec credibile est quòd *Justinus* prodit *l. 9. 7.* & ipsum Alexandrum gnarum paternæ cedis extitisse. Obstrepebat enim honesta ejus indoles, tam grande nefas vel maximè averfans. Purgamentum equidem fervorum omnium Nero matrem suam occidit. *Tac. Ann. 14. 9. 6. Svet. 6. 34.* Sed longè nostro hæc plus quàm belluina immanitas: saniora edoctus erat, fatis sciens à reverentiâ parentum pendere filiorum salutem. Neque ignorabat hoc *Æneas*
cer-

cervici imponens Anchisen, flammisq; eripiens, *Virg. 2. Aen. 707.* No-
veratq; *Coriolanus matris precibus exarmatus. Flor. 1. 22. 3.* Hincq; adeo
recte *Pindarus*, canit, *primū omnium Jovem omnium rerum modera-*
tozem coli debere; deinde vero parentes. Verba ejus hæc sunt :

μάλιστε μὲν Κρονίδαν
βαρυόπαν σεροπᾶν κεραιυῶν τε πρύτανιν
θεῶν σέβεσθαι.
Τούτῳ δὲ μήποτε τιμᾶς
ἀμείρειν γονέων βίον πεπρωμένον. *Pyth. 6.*

Et *Creon* apud *Sophoclem Antig. 649.*

ἔγω, ὦ παῖ, χεῖρ' ἀπὸ θεῶν ἔχειν,
γνώμης πατρῴας πάντ' ὀπίσθεν ἐστάναι.

Omniumq; pulcherrimè, ut solet, *Orrianius ἀλιευτ. 5. 84.*

παῖς γενετῆρα παλαιότερον ἀμφαγαπάζει,
Φροντίη γηροκόμοισιν ἀπὸ θρεπτήρια τινῶν
τὸν δ' ἤδη μελέεσσι καὶ ὄμμασιν ἀδραγνέονται
ἐνδυκέως μεθέπων προσπύσσεται, ἐν τε κελεύθοις
χεῖρ' ὀρέγων, καὶ πᾶσιν ἔργμασιν αὐτὸς ἀμύνων.

Rationem addit Euripides Orest. 1609.

ὅς τις ἐστὶ Φιλοπάτωρ,
ὅστις ἱμαῖ μῆτέρ',
εὐδαίμων ἔφυ.

Divina plane hæc est sententia, & cum Sacra scripturâ concor-
dans. Hæc ergo cum ita sint, conjectare liceat, felicitatem re-
rumq; omnium abundantiam, quæ circumfluxit Alexandrum,
maximam in partem ex eo propullulasse, quod parentes tum vi-
vos tum etiam jam defunctos omni veneratione atque cultu est
complexus.

§. 12. Quod si amicitia precium humani animi bonū sit, *Tac. Hist. 1.*
15. 6. tum reges ac Principes eò quoque frui conveniet. Quid enim?
num solis regibus lex barbare inhumanitatis dicatur, ne quem eximium ha-
beant, aut cujus familiaritate delectentur? *Barcl. Arg. 1.* num solis illis
hæc subtrahatur jucunditas? Miserrima sic eorum esset conditio,
dum velut timida animalia in solitudine fenescerent. Accersendi
ergo fideles amici, quibuscum communicent consilia, & invicem
in suavi lenitate conquiescant. Ac ne utilitate quidem carere hanc
ami-

an co-
m sibi
fit in
entum
state,
id im-
em :
m, ni-
issimus
virtus,
i prin-
fama
appel-
exan-
m re-

Rege
ADA
PHI-
Quo-
est ;
ma-
ceperit
m ac-
es pæ-
entes
ta Cn.
umq;
o erit
tit,
drum
s in-
tum
Ann.
na,
ren-
neas
cer-

amicitiam credas. Nullum enim majus imperii boni instrumentum quam boni amici. Tac. H. 4. 7. 6. Non exercitus neq; thesauri praesidia regni sunt, verum amici. Sall. Jug. 10. Certè ut nonnullos ex domesticis seligimus, ac veluti adoptamus in nostras curas; fidemq; eorum familiaritate & muneribus tam pensamus, quam sollicitamus in futurum: Ita ni Princeps sibi quaesierit ejusmodi vicariam opem, iisdemq; rationibus aluerit, non sufficiat publicis laboribus, non, vel si firmiores Atlante cervices incumbenibus negotiis opponat. Barcl. Arg. 1. Hæc ratione Hercules Philocletem, Achilles Patroclum habuere, pauciq; inter Heroës sunt, qui non aliquens præter ceteros carum in vita & secretorum consortium admisserint. Ibid. Pari modo etiam Rex noster sibi quosdam elegit amicos, quibus tum in feriis tum in remissis negotiis uti posset. E quorum numero fuere Parmenio, Craterus, Hæphestio, Philotas, aliique omnium arcanorum regis arbitri. Curt. 5. 8. Jam erga hos omnes erat apud eum BENIGNITAS: quâ illos arctissimè sibi obstringebat. Benignitas verò ista non solum se extendebat ad eroganda beneficia, quibus solis non parare queas veros amicos: verum etiam ad officia & fidem, quâ solâ parantur. Sall. Jug. 10. Conversari cum illis solebat non aliter, quam frater cum fratribus, aut verius ut parens cum liberis. Indulgebant invicem impetui, quem natura dulcissimum habet. Ille fide & mansuetudine provocabat ad obsequendum: Hi officiis atq; obsequio provocabant ad amandum. Deniq; idem velle & idem, nolle erat eorum amicitia, quæ est firmissima. Sall. Cat. 20. Loquimur autem hîc de Alexandro nondum vitiiismerso, tunc enim inter vinum & epulas ne cædibus quidem amicorum abstinuit.

§. 13. Non minorem etiam BENEVOLENTIAM ERGA MILITES exhibuit, quàm benignitatem erga amicos. Ubi vocula benevolentia simul comitatem, humanitatem atq; affabilitatem includit. Frequens aliàs Principum vitium, alios alto despiciere supercilio. Verumenimverò altissimum quemq; se maximè suppressere decet. Hoc observabat Multiades: nihil illo erat commius, nihil humanius, adeò ut nemo tam humilis fuerit, cui non ad eum parisset aditus. Nep. 1. 8. 4. Sylla milites benignè appellabat: joca atq; seria cum humillimis agebat. Sall. Jug. 96. Hiero erat in alloquio blandus. Just. 23. 4. Augustus promiscuis salutationibus admittebat plebem: tantâ comitate aduentium desideria excipiens, ut quendam joco corripuerit, quod sic sibi libellum porrigere dubitaret, quasi elephanto stipem. Suet. 2. 53. Titus etiam



naturâ erat benevolentissimus, & populum universum mirâ per omnes occa-
 siones comitate tractabat. *Suet. 11. 8. Tac. H. 5. 1. 2.* Hos omnes si non
 superabat, tamen æqvabat certè Alexander: ipsam comitatem in
 ipso sedem fixisse credideris. Unum alterumve tantum docu-
 mentum adducam, ex quo illum judicare potes. *Gregarius miles*
itinere fessus & frigore constrictus, tandem agrè pervenerat in castra: Quo
viso Rex, quanquam ipse tunc maximè admoto igne refovebat artus, ex sel-
la sua exiliuit, torpentemq; militem & vix compotem mentis demptis armis
in sua sede jussit considerare. Curt. 8. 4. Val. M. 5. 1. Quid hoc ipso hu-
 manius fieri potuit? Porro quoq; *exercitationi corporis inter grega-*
rios vacabat. Curt. 3. 6. Toties milites, quàm placidissimè fieri po-
 tuit, allocutus est: *quibus docibus effecerat, ut pariter charus ac vene-*
randus esset. 3. 6. Planè ut *Jugurtha, qui equitabat, jaculabatur, cursu*
cum equalibus certabat, & cum omnes gloriâ anteiret, omnibus tamen cha-
rus erat. Sall. Jug. 6.

§. 14. Si arborum bonitatem fructibus metimur: & agri
 fertilitas in messe censetur: animum quoq; ex consiliis æstimari
 par erit. Etenim ut arbor pomis suam ubertatem ostendit: ita
 & animus suam quasi fœcunditatem apparere facit, cum rectis
 & cautis consiliis efflorescit. Talis jam ubertas in Alexandro re-
 periebatur, siquidem illi erat **CONSILIUM PAR MAGNITU-**
DINI ANIMI. Nimirum tam divina prope vis, tam immensus
 vigor, tantaq; velocitas ingenii extitit apud eum, ut rebus geren-
 dis idoneus, non tantum celeriter reperiret, quæ opus erant, sed
 exequeretur quoq; ambigua ac præcipitia sine morâ, adeoq; maxi-
 mas prudentiæ civilis partes absolveret, *futura conjicere, & quam*
conjeceris tempestatem, amovere posse aut evitare. Has partes feliciter
 etiam explicuit Themistocles, ipso Thucydide teste. *Nep. 2. 1. 4.*
Nec minus Alcibiades, qui erat ad omnes res aptus, consiliiq; plenus. Nep.
2. 1. 2. Itidem *Agrippam* eo nomine commendat *Vellejus 3. 79. 1.*
quod fuerit per omnia extra dilationes positus, consultisq; facta conjungens.
 Qualem Græci vocant *νοσφόν*, qui ingenium in promptu habet, &
 ad quosvis rerum articulos consiliis pollet. Hâc ergò altitudine
 ingenii, ut appellat *Sall. Jug. 95.* dux aut imperator præsertim emi-
 nere debet. *Ratio enim & consilium propria ducis artes sunt. Tac. H. 3.*
20. 2. Quibus si destituitur, omnis ejus animi magnitudo destrui-
 tur.

C

§. 15.

§. 15. Magnificè dehinc sonat SOLERTIA, QUAN-
 TAM VIX ÆTAS EJUS POTERAT CAPERE. Idem hoc
 refert de rege Auctor § 3. 6. *Ætas vix tantis matura rebus, sed abunde
 sufficiens.* Et fanè ad laudem omninò eximiam pertinet, ultra
 annos sapere. Miramur caballum primo statim tempore fero-
 citer se efferentem & calcibus verberantem auras. Miramur
 furculos non ita pridem infitos, & tamen latâ viriditate proger-
 minantes. Quidnî etiam ingenia in teneris statim annis sese
 elevantia suspiciamus? Quid enim? cum tantas vires ostendit
 ætas juvenilis; quantò majori incremento eas aucturû pollicetur
 statum & virile ævi tempus? accedente imprimis usu, *qui seris ve-
 nit ab annis.* Ovid. Metam. 6. 29. *In Titi pueritiâ statim corporis ani-
 miq; dotes exsplenduerunt; magisq; ac magis deinceps per ætatis gradus.*
 Svet. 11. 3. *Quanti æstimandum, quòd Julius tenerrimus annis
 optat aprum, aut fulvum descendere monte leonem.* Virg.
 Æn. 4. 159. *Et Jugurta quoque ubi primùm adolevit, leonem atque alias
 feras primus aut in primis feriebat.* Sall. Jug. 6. Proinde Theodosius
 in Honorio *vestigia magnæ indolis agnoscit, quòd
 nondum decimas emensus aristas
 Aggreditur metuenda viris.* Claud. Hon. 4. 372.

Sic Hyempsal anteivit indole civium vota. Barcl. Arg. 2. Mirificè au-
 tem commendat apud omnes se tam vegetum atq; in omnia suf-
 fecturum ingenium. Supradictus Titus habebatur certè *amor ac
 deliciae generis humani.* Svet. 11. 1. & Gobryas *amplexabatur animo A-
 stioristæ puerilem solertiam.* Barcl. Arg. 4. Adeo virtus in primâ æ-
 tate emicans hominum animos sensûsq; intimos pertentat. Nec
 prætereunda planè fuerit *emphasis vocis solertiae;* quippe denotat
 acumen, industriam, & alacritatem ingenii, quodq; statim flam-
 mis inardescit, simul ac unicam tantummodò scintillulam subdas.

§. 16. Sed age, quàm forti animo grassatus est Heros no-
 ster in hostem illum acerrimum, nimirum *voluptatem & Venerem?*
 num victoriam retulit, an verò turpiter succubuit? De hoc jam
 Curtius agit, & MODUM IMMODICARUM CUPIDITATUM, VENERIS-
 QUE INTRA NATURALE DESIDERIUM USUM hîc adfuisse comme-
 morat. Rectè quidem. Nam turpissimum foret, totum terrarum
 orbem subegisse, & imbellem affectum domare non posse. E-
 quidem

καλ-



καλλῶ περιπυζον ἀμωμήτοις γυναῖκός
ὄψυτερον μερόπεσι πέλει πλερόεντ' ὄϊς δ'. Musæus v. 92.

Hanc tamen sagittam rectâ ratione si non infringere, tamen declinare facile possumus. Pudicitiaë autem Alexandri vel maximum indicium est, quod Darii familiam, virgines & reginas excellentis formæ tam sanctè habuit, quàm si eodem quo ipse parente genitæ forent. Conjugem imprimis Darii, quam nulla ætatis suæ pulchritudine corporis vicit, adeò ipse non violavit, ut summam adhibuerit curam, ne quis captivo corpori illuderet. Curt. 3. 12. Par omninò Scipioni Africano, qui captivas puellas præcipuè pulchritudinis barbaris restituit, ne in conspectum quidem suum passus adduci, ne quid de integritate virginitatis delibasse saltem oculis videretur. Flor. 2. 6. 40. Par Cyro, qui formosissimam Panthéam servavit illibatam, nec aspicere quidem voluit. Xenophon. Par quoq; Augusto, intra cuius pudicitiam pulchritudo Cleopatra fuit, cum tentaret Principis oculos. Flor. 4. 11. 9.

Quippe nec ira Deum tantum nec tela nec hostes,
Quantum sola nocet animis illapsa voluptas. Claud.

Sanè

Luxuries prædulce malum, quæ dedita semper
Corporis arbitriis hebetat caligine sensus,
Membræq; Circeis effœminat acrius herbis,
Blanda quidem vultu, sed quâ non tetrior ulla
Interius: fucata genas, & amicta dolosis
Illecebris torvos auro circumlinit hydros. Claud. 2. Stil. 132.

Nihilq; tam detestabile tamq; pestiferum est, quàm voluptas corporis, si quidem ea, cum major est, atque longinquior, omne animi lumen extinguit. Cic. Cat. Maj. Contra vero

-- -- σωφροσύνα
Δώρημα κάλλιπον θεῶν. Eurip. Med. 636.

Æternùm celebrabitur pudicitia Hippolyti ac Bellerophontis. Æternùm quoq; culpabitur lascivia & libido Neronis aut Caligulæ. Successu tamen temporis interdum aliquantum periclitata est castitas Alexandri: nimirum cum Thaidi vilissimo scorto vacaret. Curt. 5. 7. tredecim dies in obsequium desiderii Thalestris absumeret. 6. 5. & in amorem virguncule, si regie stirpi compararetur, ignobilis effunderetur. 8. 4. levia tamen hæc erant, & prout habet auctor, intra naturale desiderium. Dein ad immodicas cupiditates revocare possumus

AN-
hoc
unde
tra
fero-
ur
ger-
esc
ndit
etur
s ve-
ani-
adus.

Virg.
altas
fius

au-
fuf-
or ac
A-
â æ-
Nec
otat
am-
das.
no-
em?
m
RIS-
me-
um
E-
al-

pecuniæ studium. Quod non adeò infectatus est Alexander : erat enim pene unus prædæ communis exors, & in militibus colendis ornandisq; usurpabat victoriæ præmia. Curt. 4. 14. ideoq; Parmenionem increpabat, quod pecuniam quàm gloriam mallet. Val. M. 6. 4. Curt. 4. 11. Scilicet notum habebat, avaritiam fidem, probitatem, ceterasq; bonas artes subvertere. Sall. Cat. 10. & ubi cupido divitiarum invaserit, neque disciplinam, neque bonas artes, neque ingenium ullum satis pollere, postremoq; succumbere. Sall. 2. de rep. ord. Quare & verum in Alexandro reperiebatur illud Horatii: 3. od. 16.

Quantò quisq; sibi plura negaverit;
A Diis plura feret.

Sicq; adeò perdomuit fere Rex hæc duo monstra, Venerem & immodicas cupiditates, quo ipso haud parum stabilivit suum imperium. Nam id regnum eterno in gradu facile steterit, ubi minimum virium Veneris pecuniæq; cupido sibi vendicaverit. Dum contra quò istæ generis humani pestes certissimæ penetraverint, ibi injuria dominatur, infamia flagrat. Val. Max. 4. 3.

§. 17. Sequitur in textu, NEC ULLA NISI EX PERMISSO VOLUPTAS. Non semper enim Principes feriis & gravibus regni negotiis affixi esse possunt; contunderetur certè generosus spiritus assiduitate laboris publici. Liberius nonnunquam evagari licet, urgentesq; curas jucundis voluptatibus, sed tamen permissis, interrumpere. Elegantissimè hæc de re Seneca agit, de Tranquill. an. 15. operæ pretium fuerit verba adscribi: Danda, inquit, est remissio animis, meliores acrioresq; requieti surgent. Ut fertilibus agris non est imperandum: citò enim exhauriet illos nunquam intermissa fecunditas: ita animorum impetus assiduus labor frangit. Vires recipient paulum resoluti & remissi. Nascitur ex assiduitate laborum animorum hebetatio quædam & languor. Accinit Tragicus Herc. Fur. 476.

Post multa virtus opera laxari solet.

Exempla ubiq; prostant. Supradictus Seneca exhibet quædam: Catonem, qui vino laxabat animum curis publicis fatigatum: & Scipionem, qui triumphale illud & militare corpus movit ad numeros. Apud Agricola tempora curarum remissionumq; erant divisa. Tac. Agr. 9. 3. Ac in fabulis

non erubescit Bacchus effusos tener
sparnisse crines, nec manu molli levem

vibras-

vibrasse thyrsum. Sen. Herc. Fur. 472.

Et Hercules

-- -- -- ex humeris leo

Donum puellae factus, & clava excidit. Ibid. v. 465.

Voluptas autem praecipua quae Principes occupare solet, plerumque est venatio; cujus jucunditas omnes rursus molestias abstergit. Nec tantum dicenda voluptas, sed exercitatio quoque, ut Pollux habet, herosca, quaeque plurimum ad corporis pariter & animi bonum habet tum conciliandum conducit, estque tam pace quam bello opportuna, cum tolerantia, tum audacia & fortitudinis militaris magistra. Idcirco semel atque iterum venatione se oblectavisse Alexandrum nostrum legimus. Curt. 8. 1.

Quis Stilicone prior ferro penetrare leones

Cominus, aut longe virga transfigere tigres? Claud. Stil. 1. 65.

Trajanis remissio erat lustrare saltus, excutere cubilibus feras, superare immensa montium iuga, & horrentibus scopulis gradum inferre. Plin. Paneg. Traj. c. 81. Sic & Meleander annum in varia genera venatus distinxit. Barcl. Arg. 1. Neque tamen interim nimium venatui adherere convenit, quod nonnunquam usu venire cernimus, sed tantum per remissionum intervalla. Reliquas Principum voluptates lubentes transimus, ne prolixiores videamur.

§. 18. Haec omnia quae recensuimus haecenus de Alexandro, INGENTES PROfecto DOTES FUERE. Repraesentavit enim quicquid ubique esset eximium atque magnificentum. Verum enimvero nunc ad ea veniendum, quibus has augustissimas dotes aliquantum deturpavit: cum videlicet se fortuna ejus animo superfunderet, fieretque Dario magis similis quam Alexandro. Liv. 9. 18. Quamquam fatendum nullum ex omnibus quotquot habuit vitii eum a negotiis bellicis abstraxisse. vid. Hieron. Frachet. l. 2. c. 17. de Principe. multa quoque ejus delicta non esse adeo magna; sed tamen quia a Rege patrata, magna ducuntur. Omnia apud Principes in majus tolluntur, & qualemcumque famam merentur, magnam habent. Sen. Clem. 1. 8. Quae apud alios iracundia dicitur, ea in imperio crudelitas atque superbia appellatur. Hinc qui demissi in obscuro vitam agunt, si quid iracundiam deliquere, pauci sciunt: qui magno imperio praediti in excelsa aetate agunt, eorum facta cuncti mortalis noverere. Sall. Cat. 51. nec illis magis quam soli latere contingit. Sen. Clem. 1. 8. ita in maxima fortuna minima licentia est. Sall. l. c. Etenim cum quid peccant, non sibi sed populo peccant.

C 3

Prin-

L. :
nan-
in-
4. 11.
us ar-
disci-
suc-
repe-
im-
npe-
vi-
istae
infa-
ER-
gra-
ge-
vam
men
it. de
quit,
agris
undi-
ullum
etatio
lam :
cipi-
pud
9. 3.
ibras-

96.
Principes: eorumque vitia serpunt & in proximum quemque transiliunt.
Sen. Tranquill. an. c. 7. Sicut igitur virtutibus suis milites quoque ad eadem strenua opera incendit Alexander: ita credibile est eosdem & in vitiis regem suum secutos: Nam

-- -- totus componitur orbis

Regis ad exemplum, nec sic inflectere sensus

Humanos edicta valent, quam vita regentis. Claud. Hon. 4. 299.

Utque in corporibus, sic in imperio gravissimus morbus est, qui à capite diffunditur. Plin. Epist. 4. 22.

§. 19. Inter cætera verò vitia eminent, & gregem quasi ducit, DIIS ÆQVARE SE, ET DIVINOS HONORES ACCERSERE, Satius fuisset illud *Pindari* in ore animoque habuisse: *Isth. Od. 5. 18.*

μη μάτευσ Ζεύς γενέσθαι, πάντ' ἔχεις

εἰ σε τῶτων μοῖρ' ἐφίκοιτο καλῶν.

Θνατὰ θνατοῖσι πρέπει.

Et illud:

μη φίλα ψυχὰ βίον ἀθάνατον

σπεῦδε, τῶν δ' ἐμπρακτον ἀντλεῖ μαχανὰν. *Pyth. 3. 108.*

Aspicere potius debuisset

-- -- dantem *Salmonææ* pœnas

Dum flammæ Jovis, & sonitus imitatur Olympi. Virg. Æn. 6. 585.

quàm *Agin* quendam aut *Cleonem* audire cœlum illi aperientes. *Curt. 8. 5.* Pari vecordiâ *Clearchus* se *Jovis filium* dicit. *Just. 16. 6.* *Antonius Liberum Patrem* se appellari jussit. *Vellej. 2. 82. 4.* *Quin* è plebe quoque, *Bojorum Maricus Dei nomen* sibi indidit. *Tac. H. 2. 61. 2.* adeò præstringit oculos fortuna! Ad *Alexandrum* autem ut revertamur, ille se æqvavit Diis, *Herculi* nimirum & *Bacho*, quos maximè æmulatus est, spretâque mortali forte, patrem *Jovem* assumpsit. Grande dedecus tam sapienti aliàs & callido Regi! & mirum quod apertus hic error tantas radices in tam prudenti pectore figere potuerit. Nec est quod forsan dicas illum se Deum credi voluisse, ut majorem incuteret barbaris metum, quod innuit 8. 8. Satis jam satis ejus auctoritas evecta erat: satisque fuisset ad infligendum timorem fortitudo ejus tot jam experimentis cognita. Sic autem dum rerum gestarum famam augere vult, tali appellatione corrumpit. *Curt. 4. 7.*

§. 20.

§. 20. Nectantum nomen filii Jovis Hammonis sibi finxit, sed etiam TALIA SVADENTIBUS ORACULIS CREDIDIT. Ote simplicem Alexandrum! Credidistine te divino sanguine fatum, cum periculis, vulneribus, omnibusque casibus humanis pateres? Nonne cernebas in adulationem compositos vates? Verè & salubriter æstimanti tibi fidem oraculi, vana profectò responsa videri potuissent. Antetulerim omninò tibi Tiberium adulationes averfantem, & si quid in continuâ oratione de se blandius diceretur, interpellantem. *Suet. 3. 27. Non nesciebas, perpetuum regum malum esse adulationem Curt. 8. 5. eamq; semper magnæ fortune comitem adesse. Vell. 2. 102. 3. Cur ergo adulatoribus præbebas latus, qui sunt artifices ad captandos superiores? Sen. Nat. Quæst. 4. Præf. Hâc in re non Magnus sed Parvus certè es visus.*

§. 21. Accessit ad hæc, quòd DEDIGNANTIBUS VENERARI IPSUM VEHEMENTIUS QUAM PAR ESSET IRASCKERETUR. Macedones enim assueti majore libertatis umbrâ, quàm cæteræ gentes, immortalitatem contumacius, quàm aut ipsis expediebat aut regi, aversabantur. *Curt. 4. 7. Hincq; adeò vi illos ad venerationem compellere est ausus Alexander: id quod patet exemplo Polypercontis, quem detrahitum lecto præcipitabat in terram ideò quod humi corpus prosternere recusaverat. Curt. 8. 5. Neque ob aliam causam (quanquam dissimulabat) Callisthenem occidere jusserat. At enimverò honores mereri, quàm exprimere præstat. Nam*

-- -- quicquid exprimitur grave est. *Sen. Octav. 459.*

Invisum magis reddit Principem tam intempestivus furor. Et quod nõ extorquenti ultrò obtulissent cives, postulanti denegant. Satis enim notum aliàs, quàm rigido difficiliq; ingenio fit vulgus, cum nullâ plane coactione adigitur ad peragenda officia. Quantò ergò contumaciores ac magis refractorios sese præbituros credibile est, cum nolentibus invitisque quicquam injungitur?

§. 22. Sicut autem vitio vertitur Dario, quod *vaginam acinacis Persicam mutavit in eam formam, quâ Græci utebantur. Curt. 3. 3.* Ita in dedecus etiam Alexandri verget, quòd IN EXTERNUM HABITUM MUTAVERIT CORPORIS CULTUM. Hoc ipsum latius diduxit Auctor l. 6. c. 6. *purpureum, inquam, diadema distinctum albo, quale Darius habuerat, capiti circumdedit, vestemq; Persicam sumsit, ne omen quidem veritus, quod à victoris insignibus in devicti transfiret*

ha-

iunt.
3 ad
dem

299.
indi-

du-
tius

08.

En.

Curt.
onius
Bo-
ngit
se
ula-
nde
rtus
it.
ajo-
is e-
mo-
dum
Curt.

20.

habitum. Paria refert de Pausania Nepos, quod videlicet *cultum vestitumque patrium mutaverit.* 4. 3. 1. Habent enim hoc vaga ac volubilia ingenia, ut semper novitate aliquâ oblectentur: solita illis fordent: sæpeque vilia ac indecora amant, tantum quia sunt nova. Utinam verò hoc crimine tantum Alexander se polluisset! si modo non nos quoque invasisset Germanos! quippe pristinus ille ac venerabilis ac planè virilis habitus negligitur, contemnitur. Parum aut nihil valet, qui non Gallica aut aliarum gentium veste, prout fert seculum, utitur. Et si Gallorum levitas & inconstantia minus aliunde liqueret, hoc satis certum foret indicium, quod tam mutabiles semper sint in habitu: & tamen illos nos æmulari gestimus: Quid ineptius? Verum hæc obiter, & quasi ex transverso.

§. 23. Neque tamen referret, quam quis vestem indueretur, si modo non & mores simul exterarum gentium indueremus. Quod accidit Alexandro quoque nostro, qui **IMITATUS EST DEVICTARUM GENTIUM MORES, QVAS ANTE VICTORIAM SPREVERAT.** Atque sic habitus animi secutus est habitum corporis, quod plerumque fieri solet. Hinc *pellices totidem, quot Darius habuerat, implebant regiam: hinc jacere humi venerabundos ipsum expetebat: hinc patrios mores disciplinamque Macedonum Regum salubriter temperatam velut leviora suâ magnitudine ducebat.* Curt. 6. 6. Sic memoratus Pausanias *fortitudinem suam effœminato Asiae cultu mollivit.* Val. Max. 2. 1. deque Antonio Florus 4. 11. 3. *patriæ, dicit, togæ, fascium oblitus, totus in monstrum illud, ut amictu, ita animo quoque; & cultu desciverat.* Claudianus etiam hoc nomine perstringit Rufinum 2. 75. quem vide. Possis tamen Alexandrum non nihil excusare tam consuetudine, quam regionis indole. Quod veste peregrinâ amiciebatur, consuetudo secum ferebat, *quæ est naturâ potentior* Curt. 5. 5. Versabatur quotidie inter peregrinos, adeoque *consuetudo insolentiam etiam externi cultus mitigabat.* Barcl. Arg. 1. De hoc ipse differit l. 8. c. 8. & ait: *in multis gentibus esse video, quæ non erubescamus imitari.* Quod verò transibat in mores peregrinos, illud proveniebat ex regionis genio. Horridum ejus & Macedonicum animum infrangebant deliciae Asiæ. Eodem temperamento imbuuntur corpora, sub quo vivunt. Et sicut *locorum asperitas hominum quoque ingenia durat.* Curt. 7. 3. Ita contra *soli cælique clementiâ robur elanguet.* Flor. 3. 3. 13. Egregium exemplum

plum Annibal exhibet, cujus ardor in Campaniâ evanuit: illumq; invictum Alpibus, indomitum armis, Campaniæ soles, & tepentes fontibus Bajæ subegerunt. Flor. 2. 6. 21. & 22. Quid multa? Alexander observabat illud tritum;

Si fueris Romæ Romano vivito more.

& imitabatur Alcibiadem qui se more polypi in omnes formas componere sciebat.

§. 24. Cæterum hæc insuper enormia vitia ejus animum irrepserant, iracundia & vinolentia. De posteriore auctor 5. 7. hæc habet: *ingentia animi bona, illam indolem, quâ omnes reges antecessit, hanc tolerabili vini cupiditate fœdavit.* Nefas plane! Principem tam turpi crimine obfuscare, ex quo omne malorum genus redundat. Equidem nonnunquam usq; ad ebrietatem veniendum, verum non ut mergat nos, sed ut deprimat curas. Eluit enim curas, & ab imo animum movet: ac ut morbis quibusdam medetur, ita tristitiæ. Cæterum nec sepe faciendum est, ne animus malam consuetudinem ducat. Sen. de tranquill. an. 13. Ubi verò nimium ingurgitamus nos vino, in omne flagitium ruimus. Omne enim vitium ebrietas nimia & intendit & detegit, obstantem conatibus verecundiam removet. Sen. Ep. 83. Videas & plura ibidem ebrietatis effecta. Tali jam vitio adhæsit Alexander, nec sanè Clitum carissimum sibi ac fidelissimum transfodisset, nisi vino merus obrutusq; fuisset. Non incendisset regiam totius Orientis Persepolim, nisi incaluisse mero. Habet & sodales atq; asseclas Rex hæc in parte: Tiberium, qui tam avidus vini fuit, ut mutato nomine, Biberius Mero appellaretur. *Marcum Antonium magnum virum, & ingenii nobilis, quæ alia res perdidit, & in externos mores ac vitia non Romana trajecit, quàm ebrietas?* Sen. ep. 83. Quod verò ad iracundiam spectat, iterum Auctor refert 4. 2. *Alexandrum ejus potentem non fuisse: neq; eam capere animo potuisse* 8. 5. Quin adhuc magis addit Valerius Maximus 9. 3. *Alexandrum iracundiam propemodum cælo diripuisse:* patet hoc exemplo Polypercontis, Lyfimachi, aliorumq; in quos rabiem suam effudit. Et tunc imprimis maximè exacerbabatur, cum quis ejus laudes deterere auderet. Cum tamen sic statuere secum debuisset, *magni animi esse, injurias in summâ potentiâ pati, nec quicquam esse gloriosius, quàm Principe impune læso.* Sen. Clem. 1. 20. Hoc modo, ut Alexandri, Domitiani natura erat præceptus in iram. Tac. Agr. 42. 6. *Ira atq; iracundiæ sibi conscius erat.* Claudius. Svet. 5. 38. Nec ullus prope-

D mo.

ltum
vo.
illis
ova.
mo-
e ac
Pa-
te,
tan-
quod
ulari
erfo.
ur, si
quod
VI-
TO.
s est
ellices
humi
mqve
agni-
titu-
ve
st, una
etiam
nen
egio-
ecum
inter
itiga-
genti-
t in
lorri-
æ. E.
Et si
con-
xem-
plum

modum Princeps dabitur, qui non quandoque vehementius quam par est efferbuerit. *Dario erat mite ac tractabile ingenium Curt. 3. 2. & tamen nimis iracundè vehebatur in Charidemum. De cæteris idem in historiis recensetur. Hæc duo jam vitia, quæ explicuimus, magnam addebant infamiam famæ Alexandri. Nihilominus tamen connivet hic Curtius quodammodo, & extenuat ea non nihil, dum ait: IRACUNDIAM ET CUPIDINEM VINI SICUT JUVEN- TA IRRITAVERAT, ITA SENECTUS MITIGARE POTUISSET. Hoc si verum, effusissimas gratias agere convenit senectuti, quod nos à vitiiis avocet, & corrigit prava juventutis. Quod Horatius etiam respexit 3. Od. 14.*

Lenie albescens animos capillus

Liliūm & rixæ cupidos protervæ.

Senectus sanguini frigus suum insinuat. Barcl. Icon. 1. Vitia & vitiorum instrumenta senescunt in longâ etate. Sen. Ep. 26. Proinde non dubitandum, quin Alexander quoque, lubricum illud ætatis emensus, simul cum juventute vitia exuisset: ad exemplum Themistoclis qui vitia incuntis adolescentiæ magnis emendavit virtutibus. Nep. 2. 1. aut Fabii Maximi, quo adolescente nihil magis infame, nihil eodem sene ornatus aut speciosius illo seculo civitas Romana habuit. Val. Max. 6. 9.

§. 25. Clausulæ quasi loco differit Auctor non nihil de fortunâ Alexandri. Sic autem scribit: FATENDUM EST, CUM PLURIMUM VIRTUTI DEBUERIT, PLUS DEBUISSE FORTUNÆ, QUAM SOLUS OMNIUM MORTALIUM IN POTESTATE HABUIT. Ubi statim observari liceat, alio plane sensu Alexandrum fortunam in potestate habuisse, quam Catonem apud Vell. 2. 35. 2. hinc denotat obsequium fortune semper faventis, nunquam averfantis: Illic verò innuit Vellejus hæc locutione illam virtutis vim & robur, quò munitus vir excellenter bonus fortunam quamcunque & sustinet & regit, semper sibi similis, nec inflari gnarus prosperis, nec adversis dejici. Bæcler. in ind. Vell. Mittimus hinc Catonem; & agimus de fortunâ regis nostri, quâ aspirante res tam prosperè gesserat. Videtur experta in hoc, quid valeat, convocatis quasi omnibus viribus: datura documentum, ad perfectam & absolutam fortitudinem non solam sufficere virtutem, sed etiam se requiri utpote quæ successum conatibus infundat. Et hoc certissimum, in bello plurimum sibi vindicat fortuna, seq. plus valuisse sæpe, quam ducis prudentiam

ve-

verè potest predicare. Nep. 8. 1. 4. *Quantò efficacior est fortuna quàm virtus!* exclamat Florus 4. 7. 11. *Et victor etsi persæpe virtuti tamen plerumq; felicitati suæ congratulari debet.* Cic. pro M. Marcell. Plenaque omnia sunt apud Historicos & Politicos de fortunæ in bellis potentiâ. Præcipua collegit Lips. Polit. 5. 5. 4. & 5. 16. 3. Obstupescimus certè Cæsaris imperia, provincias, Rhenum, Oceanum, Nilum, pugnas innumerabiles, incredibiles victorias: num autem quicquam ex iis peregrisse credas, nisi ejus virtuti sese associasset fortuna? Darius è contrario semper succubuit, quia nimirum destinata ejus salubriter omni ratione potentior fortuna discussit. Curt. 3. 8. Dies abeat, priusquam fortunæ ludentis exempla omnia enumeres. Ad Alexandrum recurrimus, quem sibi desponsaverat quasi & æterno connexerat vinculo. **QVOTIES ENIM ILLUM A MORTE REVOCAVIT! QVOTIES TEMERE, (i.e. inconsultò aut ex improvviso) IN PERICULA VECTUM PERPETUA FELICITATE PROTEXIT!** Qvis neget, ejus beneficio angustas & periculosas Ciliciæ fauces penetravisse? *Nec aliàs magis dicitur Rex suam fortunam admiratus quàm ibi.* Curt 3. 4. Qvis non videt, fortunam eum incolumem extraxisse *depreheusum in Susidis pylis velut in foveâ?* 5. 3. Omnia deniq; pericula perpetua ejus felicitas avertit.

§. 26. Aliàs natura fortunæ, ut, quos evexit, plerumq; tandem deprimat rursus, & favorem acerbitate compenset.

- - - *Tolluntur in altum,*
Ut lapsu graviore ruant. Claud. Ruf. 1. 23.
 - - - *summisq; negatum*
Stare diu, nimioq; graves sub pondere lapsus. Lucan. 1. 70.

Et fortuna cum manus porrigit, pinnas quoq; comprehendere non sinit. Curt. 7. 8. Eò magis ergo mirandum, quod apud Alexandrum, nunquam in indulgendo fuerit defatigata. **HINC VITÆ QVOQUE EUNDEM ILLI STATUIT, QVEM GLORIÆ, FINEM. EXPECTAVERE EUM FATA, DUM ORIENTE PERDOMITO, ADITOQUE OCEANO, QVICQVID MORTALITAS CAPIEBAT, IMPLERET.** Quotusquisq; reperitur, cui hoc contigit quod Alexandro? usq; ad ultimum vitæ tempus propitiam benignamq; habuit fortunam: hoc quoq; in ipsâ morte illi indulsit, ut in urbe totius terrarum orbis amplissimâ ce-

am
 &
 s i
 ui
 ni
 n
 n
 si
 vi
 am

 in
 an
 fi
 qui
 fa
 tibus

 T,
 IS
 M
 lio
 am
 ven
 tu
 que
 ad
 nus
 Vi
 iri
 di
 væ
 iri
 am
 ve-

QX
Tm
317

leberrimâq; animam efflaret. *Quintum* quidem *Metellum* à primò
originis die ad ultimum usq; fati tempus fortuna, nunquam cessante indul-
gentia, ad summum beata vite cumulum perduxit. *Val. Max.* 7. 1. Sed
nescio tamen, an illius felicitas felicitati *Alexandri* sit æquiparan-
da: illîc enim vulgaria tantùm ac levia, hîc autem summa omnia
effudit. *Cæsar* quantumcunq; felix videri potest, tamen cessit ad
ultimum illa benevolentia, tristissimumq; illi tribuit exitum.
Stupenda erat *Polycratis* felicitas; tamen novissimè prolapsa.
Quid *Bajazete* felicius? quid deniq; miserius? Quousq; elevave-
rat fortuna *Henricum IV.* Imperatorem? quousq; etiam eundem
detrusit tandem, dum permetteret, ut à filio regno exutus, carce-
rem subire cogeretur? Tu ergo *Alexander* congratulare felicitati
tuæ, quòd permanfit inconcussa, fixa, stabilis, tibiq; peperit
famam. quam nulla vis, nulla ætas extingvet.

COROLLARIA.

- I. Optima ad Principatum via est Successio.
- II. Fas est reges tributa imperare subditis.
- III. Securi imperii non aliud certius est pignus, quàm paratus & semper in castris exercitus.
- IV. Otiosi homines in republicâ sunt perniciosissimi, ideoq; expellendi.
- V. Honestissimus modus ad summa emergendi est æmulatio.
- VI. Bella civilia sunt omnium miserrima.

LINDNERUM Philure, Genitoris amabile germen,
Semina Rochlicio qui sacra spargit agro,
Historicos rarâ lustrare indagine saltus,
Excutere & varias mente sagace feras,
Afranique adeo vidit vestigia WILKI,
Nec non FRANCKSTENII prævia signa sequi;
Vidit & Emathii vitam pervolvere Regis,
Sistereq;ve ex illâ dedecus atq;ve decus,
Et Latii melioris opes hinc prodere verbis.
Cecropiæ inde artes exsinuasse Deæ,
Moxq;ve, hic FRANCKSTENIUS fiat seu WILKIUS alter
Grandis, ait, quondam sic Polyhistor erit.

*Ita de Juvenis & moribus & literaturâ ipsâ politissimè
Conatibus laudatissimis ominab.*


L. JOACHIMUS FELLERUS, PP.

* *
*


VDTT

nc

76.



plisimo, Excellentissimo
 nsultissimo,
 DNERO, J. U. Doctore
 Lipsiensis Præsidi gravissimo,
 Provincialis Advocato
 amigeratissimo,
 no Clarissimoqve
 DRO SCHINDLERO,
 Electori à Secretis res
 ncernentibus.
 o atqve Clarissimo
 DNERO, Serenissimo
 us ad tractum montanum
 s, Secretario.
 arissimo
 DO LINDNERO,
 ensi meritisimo.
 qve Prudentissimo
 BERKAMPFFIO,
 enatori Misenenfi,
 s ac Affinibus suis
 andis, colendis,
 mia primitias submissè
 offert



AUCTOR.

